





G. 24. num 34.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

EO, QVOD LICET
SECVNDVM LEGEM NATVRAE
SVMMA NECESSITATE VRGENTE

1765, 9
24

QVAM

ADNVENTE NVMINE SVPREMO
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

CONSENTIENTE

PRAESIDE

GOTTLOB. AVGVSTO TITTEL

PHILOSOPH. DOCTORE IN ACAD. IENENSI

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCT. DES.
SOCIET. LAT. IENENS. SOD. HONOR.

DIE XVIII. OCTOBR. MDCCCLXIII

PVBLICE DEFENDET

HENRICVS DETLEFF DE SALDERN

EQVES HOLSATVS

L. L. CVLTOR.

SOCIET. TEVTONIC. IENENS. SODAL. ORDINAR.



I E N A E

LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII



2112




INSTITUTIONE H. O. S. O. N. I. C. A.

FO. G. V. O. P. I. M. I. N. I. S. T. R. U. M. S. I. M. P. L. I. C. I. T. A. T. I. O. N. I. S. S. E. N. T. I. A. L. I. S. S. E. N. T. I. A. L. I. S. S. E. N. T. I. A. L. I. S.

INSTITUTIONE H. O. S. O. N. I. C. A.

INSTITUTIONE H. O. S. O. N. I. C. A.

INSTITUTIONE H. O. S. O. N. I. C. A.



ful
vit
int
ide
in
fit
nor
ea
cef
re
lis
que
effe
que





§. I.

olent homines saepissime necessitatis vocabulo uti, atque eum in finem vruntur, ut id, quod factum est, laudetur ab aliis aut certe in eo nihil peccauisse existimari velint. Est itaque ea constans et communis fere hominum opinio, si quid

Explicatur
scripti hu-
ius ratio
et argu-
mentum.

susceptum est, vbi necessitas aliqua vrgens ita tulit, id ei vitio dari non debere, qui, quum necessitati parendum esse intelligeret, illud commisit, licet, si abfuisset illa necessitas, idem committere fas non habeatur. Eiusque rei rationem in ipsa lege naturae quaerunt, a qua ita constitutum est, vt fit excusationi locus, vbi ob necessitatem aliquid fieri aliter non potuisse ostendi potest, neque peccasse habeatur is, qui ea necessitate implicitus, non temere a praecepto legis discessit. Equidem recte hoc: sed maximam adhiberi oportere arbitror cautionem, vt accurate perspiciatur, tum qualis sit ea necessitas, quae efficit, vt peccatum censeriqueat, quod, si praeter necessitatem fieret, omnino tale esset et haberetur; tum, quid ob eam necessitatem liceat et quorum factorum venia impetretur. Alterutrum enim ho-

A rum



rum si ignoratur, vehementer errari potest, aut quia fingitur necessitas, quae non existit, aut quia licere ob eam sumitur, quod non licet. De utroque igitur, quid lex naturae velit et quid praecipiat, mihi quidem hac de re cogitanti, diligenter considerandum visum est, ne, quod contra naturae legem fit, secundum eam fieri existimeretur, ignoratione eius, quod a natura nobis iniungitur. Ea quidem praecipita, si ad usum et vitam hominum referre velimus, tantum abest ut negligenda videri possint, ut grauissima potius iudicari debeant: de quibus ego nunc, quoad per angustos huius descriptionis limites fieri poterit, exponam. Omnis igitur hac de re disputatione continetur his duobus, quae supra posita a me sunt, *primum* ut dicatur, *qualis ea sit necessitas*: in quo considerandum est, quid sit, num vera sit, an ficta; an summa; an minus; *deinde* ut, *quid propter necessitatem*, quae vera est et summa, *liceat*, adcurare definiatur: in quo iterum nonnulla sunt excutienda, nimirum, qua ratione homo in *Deum* se gerere debeat, si quando necessitas adest; quid homini in *hominem* concedatur, tum in eum, a quo forsitan ea necessitas profecta est, tum in alios; tandem quid sibi in *se ipsum* liceat. De quibus singulis ordine iam dicam. Illud igitur, quod primum a me positum est, primo loco tractandum erit.

§. II.

Quomodo
praecepta
naturalia
sibi ali-
quando
possint
aduersari.

Lex naturae quum sit ea, quae ipsi naturae impressa est atque ex eadem intelligitur, haut difficile est iudicare, quia omnium rerum natura a Deo est constituta, eam quoque legem, cuius ratio in natura continetur, ab eodem auctore ortam esse. Is vero ob summam, quam ei inesse demonstrant, qui theologiam naturalem profitentur, sapientiam, optime, quid cuique conueniat, perspicit atque in omnibus, quae ab eo proficiuntur, eandem sequitur conuenientiam; neque ita fieri potest, ut vnquam praecipiat, quod alii praecepto eiusdem, vlla ex parte per se quidem *contradicat*: quoniam omnis contradictio infert aliquid, quod

quod alteri, cui contradicit, non conuenit; et, ubi per se obrinet contradictio in iis, quae praecipuntur, ab eo tantum oritur, qui horum auctor est. Quodsi igitur fit, ut oriatur aliquando dissensio legum, quae sunt a Deo latae, per quam efficitur, ut simul obseruari non possint, aliunde eius origo est repetenda, nempe ex rerum circumstantium indigentia. Ex quo perspicuum est, *praeccepta, quae continentur lege naturae, per se quidem nunquam sibi aduersari, sed aliunde, ex singulari rerum nexu, in casu quodam obuio, fieri posse ut eodem tempore singula obseruari non possint atque sic alterum alteri contradicat.*

§. III.

Quaelibet regularum simul obseruandarum in casu obuio contradictio dicitur *collisio*. Itaque cum tempora aliquando incidere possint et ea sit singularis rerum illarum quibus implicamur, coniunctio, ut ab vno vel altero praeccepto naturae discedendum sit, quia singulis simul obtemperari nequit (§. II); esse potest eo modo *collisio* earum quoque legum, quibus, quid naturae hominis conueniat et ideo agendum sit et quid eidem non conueniat atque eapropter omittere deceat, accurate describitur. Quae quidem legum repugnantia semper inducit discrepantiam obligationum, quum singulis legibus siue praecceptis naturae singulae obligationes respondeant, quod ex ipsa legis cuiusque conditione et obligationis ortu facile intelligitur, de quo fusius hic tradere prohibet instituti ratio. Eorum vero, quae ita a se inuicem discrepant, ut alterum propter alterum negari debeat s. quorum alterum alteri contradicit, vnum tantum relinquitur, quod possit esse; quapropter idem valet de obligatione per legem constituta, quae, ubi cum alia obligatione consistere nequit, vbi fit in collisione (per antec.) alterutra tollitur.

Quid sit
collisio :
dari potest
inter leges
et obliga-
tiones na-
turales :
quid
ob eam fiat.


§. IV.

Ex pluribus obligationibus, quae simul obseruari non possunt, vniam retinere, ommissa altera, est idem ac *excipere*.

Exceptio
quid.

A 2

Is



locum habet in collisione. Is actus, quo retinetur vna obligatio, altera omittitur, vocatur *exceptio*. Collisio impedit, quo minus singulis obligationibus simul satisfieri possit (§. III), atque per id ipsum efficit, vt altera in eo quidem casu fit negligenda (§. eod.); ex quo patet, *vbicunque existit collisio, locum concedi exceptioni.*

§. V.

Quaenam ex collisione oriatur obligatio.

Si duae fuerint obligationes, quae secum pugnant, duobus modis fieri potest *exceptio*; si plures, pluribus. Quo autem modo fiat, multum saepius interest. Quamquam igitur in omni collisione concedendus sit locus *exceptioni* (§. IV.); videndum tamen est diligenter, vt recte fiat, ne retineatur ea obligatio, quae potius in eo casu omitti debuisset, neue omittatur, quae retinenda fuisset. Illud autem iudicandum est ex magnitudine obligationis. Maiorem enim obligationem, quia plus boni continet eius observatio, retinendam; minorem vero, quia minus mali adfert eius violatio, deferendam esse eo casu, quo ambae stare non possunt, praecipiant, qui de moribus tradunt. *Resultat igitur ex isto obligationum concursu, quem vocant collisionem, obligatio ad efficiendam exceptionem, eam quidem quae plus boni et commodi continet, atque minus mali et incommodi quam quaecunque alia.*

§. VI.

Quid sit necessitas

Obligatio quae spectat ad *exceptionem* faciendam, vnus modo officii praestationem, alterius vero intermissionem includit (§. IV); sic ergo ei opponitur vtriusque simultanea observatio. Simultanea autem observatio vtriusque contradictione non vacat, et adeo non fieri potest, vbi adest *collisio* (§. III); cuius oppositum fieri non potest, id est *neccessitas*: quare, quum talem obligationem inferat *collisio* (§. V); *neccessitas* hic dicitur obligatio ex collisione resultans ad efficiendam *exceptionem*; atque statum illum, in quo quis tali nexui involuitur, *statum necessitatis* vocant.

§. VII.

§. VII.

Necessitas ea, de qua dixi, importat exceptionem (§. VI); exceptio ante se requirit collisionem (§. III); collisio constituitur contradictione regularum simul observandarum (§. III): *nulla per consequens datur necessitas, nisi praestruatur ei aliqua contradictio tanquam fundamentum. Qualis ergo est contradictio, quae hic substernitur loco fundamenti, talis sit necessitas.*

Talis est necessitas, qualis contradictio hic obvia.

§. VIII.


Contradictionis duo sunt genera. Aut enim reuera existit contradictio, aut existere quidem videtur, re ipsa tamen exulat. Si existit vere, *contradictio vera* vocatur; imminus, *adparens* dicitur. In omni necessitate sumitur aliqua contradictio regularum (§. VI); quae si vera est, *vera* hinc oritur *collisio* (§. III); adeoque *vera* constituitur *necessitas* (§. VI). Eandem necessitatem veram dicunt *absolutam*, quia per se, i. e. ex parte obiecti vere habet locum. Sin adparens fuerit contradictio s. talis, quae in re exulat, *collisio*, quae inde deriuatur, *ficta* est; quapropter *ficta* quoque necessitas hic obtinet (§. §. cit. cit.). Id, quod fingitur, tale vere non est, sed eius tantum, qui fingit, iudicio tale sumitur. Eiusmodi quum sit necessitas *ficta* (per anteced.), eandem *hypotheticam* nominant s. *re/petivam*.

Necessitas absoluta vel hypothetica.

§. VIII.

In ista regularum repugnantia, qualis invehitur per collisionem (§. III), illud quoque cognoscendum est, quaeenam sint eae regulae, inter quas intercedit contradictio; quarum quia infinita fere est varietas (per exper.) *infinitae possunt esse species collisionis*. Fundamentum necessitatis posui collisionem (§. VII); quapropter talis est necessitas, qualis collisio; per consequens *ininitas necessitatis species concipere licet*, ex infinito regularum discrimine, in quibus pugna deprehenditur. Emuet inter has regulas ea, quae iubet vitam conservare atque tueri, quae ideo summa et maxima habenda est, quia

Necessitas extrema vel non-extrema.



de re praecipit, qua non est vlla praestantior, si, quid homini bonum sit, naturaliter existimetur. Duo itaque potissimum complectimur genera necessitatis, quorum alterum cernitur in eo casu, quo lex de vita conseruanda et tuenda ita cum alius cuiuscunque legis obseruatione concurrir, vt simul consistere nequeant: *alterum* comprehendit cuiusque legis alius, excepta ea, de vita conseruanda, cum alia collisionem. *Prior necessitas*, qua inuehitur vitae periclitatio aut iactura sub conditione obseruandae alius cuiusdam legis, vocatur *summa* et quoniam vitae amissio est extremum malorum, *extrema* eadem dicitur. *Posterior* autem *necessitas*, quae respicit alius cuiusque legis, praeter eam, qua vitam tueri iubemur, cum quacunque alia lege contradictionem, *non-extrema* nominatur, quae varia esse potest iterum et multiplex. Potest haec distinctio cum illa, quam §. antecedente adtuli, ita coniungi, vt constitutur necessitas extrema aequae ac non-extrema aut absoluta aut hypothetica: prout reuera existit, quae hic sumitur, collisio, aut non existit vere.

§. X.

Cuius necessitatis effectus sit exceptio.

Necessitatis hypotheticae ea est indoles, vt collisio regularum, quae iudicio huius illiusue sumitur, actu exulet (§. VIII); per consequens nulla adsit reuera contradictio (§. III); neque ideo existat vlla ratio exceptionis, quum vtraque retineri possit obligatio (§. IV); atque si ex re velis iudicare, nulla detur necessitas (§. VI). Frustra igitur et temere ab alterutra obligatione discederetur eo casu: nulla igitur ob necessitatem hypotheticam conceditur exceptio. Necessitas praeter excipiendi facultatem nihil efficit (§. VI): hypothetica necessitas eam potestatem exceptionis faciendae non efficit (per anteced.); ergo hypotheticae necessitatis effectus nullus est. Necessitas, quae non est hypothetica, est absoluta (§. VIII); quocirca, si datur locus exceptioni, quae sine necessitate nulla est (§. VI), necessitas absoluta siue vera sit oportet.

§. XI.

Cogitare licet necessitatem absolutam, quae est extrema, atque sic importat periclitationem vel iacturam vitae, si velis insistere alius cuiusdam legis obseruationi (§. IX); sed aliam quoque speciem necessitatis absolutae animo complectimur, quae est non-extrema et secum fert alius boni, quod minus est et inferius vita, amissionem, nisi alia lex simul obseruanda dimittatur (§. eod.). Quaelibet necessitas, quae non fingitur, relinquit locum exceptioni (§. X). *Idem est ergo effectus hac in parte necessitatis absolutae extremae et non-extremae, ut ob eam liceat alterutrius obligationis vinculo se exfoluere.*

Idem est effectus necessitatis absolutae extremae et non-extremae.

§. XII.

Equidem id ob collisionem conceditur, ut fiat exceptio (§. IV); ideo tamen non cessat obligatio ad efficiendam exceptionem rectam (§. V): Idem dicendum est de necessitate, quoniam ea resoluitur in collisionem (§. VI). Male igitur se truentur necessitatis nomine, a quibus effecta est exceptio alia, quam effici debuit. Namque licet ex necessitate intelligatur, quod exceptio fuerit adhibenda, illud tamen non aeque ex ea intelligitur, cur adhibita sit alio modo, quam qui rei satis conuenit. Ex quo potest existimari, licet, qui ob interuenientem necessitatem, vsus est exceptione, in eo expers sit vitii, quod ista regularum contradictione se explicuerit, non tamen carere vitio, in eo quod, quum alia ratione se posset explicare, quam magis postulabat lex naturae, non tamen eam adhibuerit. *Quamquam igitur non peccet, qui urgente necessitate excipit, cauendum tamen est studiose, ne peccetur in modo, qui adhibetur exceptioni.*


Potest in exceptione peccari.

§. XIII.

In omni collisione duae saltem ponuntur obligationes (§. III.), quae possunt etiam plures esse. In his si admittitur exceptio, fit ab una obligatione discessio, ut obseruetur altera (§. IV). Generalis haec est lex naturae, ut tantum boni comparemus, quantum licet obtinere, et tantum mali fugia-

Quomodo peccetur in necessitate obuia.





fugiamus, quantum vitare licet. Sic igitur bonum maius retinendum est, cum iactura boni minoris, si utrumque haberi nequit: nam in eo, quod maius est, continetur aliquid boni, quod deficit ei, cuius intuitu maius dicitur; quam ob rem, qui bonum maius non amplectitur, quum possit, non tantum boni sibi comparat, quantum licet. Eodem modo intelligitur, fugiendum esse malum maius, cum mali minoris sensu, si utrumque vitari nequit: quoniam plus adfertur nobis detrimenti ex illo, quam ex hoc. Natura obligationis ea est, vt semper tendat ad bonum consequendum et malum amouendum: bona malae obligationis obseruationi vel violationi annexa possunt maiora esse et minora (per exper.), quorum diuersa magnitudine, quantitas obligationis constituitur. Maioris itaque obligationis obseruatio maius commodum et bonum adfert; ex eiusdem violatione autem maiori damno et malo adficimur: minoris obligationis obseruatio autem violatio neque tantum boni praestat, neque tantum mali infligit. Ita planum est hoc, si necessitas cogat, inhaerendum esse obligationi maiori, a minori discedendum. Delinquit siue peccat is, qui defectit ab eo, quod rectum est; quid ergo possit delinqui siue peccari in necessitate obuia, facile intelligitur. Peccatur nimirum, si non eo modo instituitur necessitatis causa exceptio quem dixi.

§. XIII.

Quousque liceat aliquid ob necessitatem. *Licet id, quod non repugnat obliigationi nostrae; non licet, quod pugnat cum obligatione.* Iudicari igitur aliter non potest, quid licitum sit, quid minus, quam si habetur ratio obligationis nostrae: prouti cum ea aut consistere posse intelligitur, aut non, ita licitum idem esse, aut illicitum, recte iudicatur. Si contingit, vt in necessitate aliqua constituamur, quid fieri debeat adeoque conueniat obligationi nostrae, demonstratum est §. praeced. Eo igitur omne iudicium reuocandum est de eo, quid praesente necessitate liceat, quid minus. Quousque igitur illud, quod fit ob urgentem necessitatem, potest conciliari cum fundamento ibi posito, eousque licet idem.

Profe-




Proferenda ergo nunc est disputatio ad id, de quo potissimum dicere sum adgressus et quod secundo loco supra collocaui, nempe quid ergo et quantum liceat, ubi necessitas urget. Equidem quale hoc sit, generatim potest intelligi ex fundamento, quod ieci (§. XIII.) sed specialiora eodem de argumento tradi debent, quo magis haec adcommodentur ad usum hominum. Quapropter plenioram iam subiungo et adcuratorem tractationem. Et in hac quidem disputationis meae parte ita iterum verlabor, uti ordo supra (§. I.) exhibitus requirit. In quo tamen illud monendum duxi, me iam non singula necessitatis genera persequi velle, neque, de singulis quid sit statuendum, adcurate exponere. Id enim longius esse videtur, quoniam eae res sunt quam plurimae et infinite variae, (uti maximam quotidie vita hominum earum multitudinem ostendit) de quibus quaeri potest, quatenam ex iis alteri aut reliquis sit anteponenda, quia singulae haberi non possunt. De his singulis adcurate pronuntiare infinitum est. Sufficit hic nosse, eligendum illud esse, quod nobis aliisque plus boni praestat. Illud autem quale sit et quodnam, ex singulari rerum circumstantium nexu est deducendum et intelligendum. Sic v. c. si opes, honores et alia similia, quae ab obligatione nostra prorsus aliena non sunt, sed ei mirifice interdum conveniunt, acquiri simul aut conservari non possunt: tum est hic aliqua necessitas, sed non-extrema, de qua erit definiendum ex rerum aliarum coniunctione, quid fieri debeat. Ut cuique magis conveniunt opes, dignitates aut res aliae, ita magis sunt expetendae et praeter caeteris retinendae. Plura ergo de necessitate non-extrema disserere non institui. Illud autem potissimum disputatione egere mihi visum est, *quid quantum valeat necessitas summa s. extrema.* Cuius tractationis iterum nonnullae sunt partes; in his prima est: *quid summae necessitati sit tribuendum erga Deum.* Nempe existit quaestio, si lex de conservanda vita stare nequit in casu obvio cum praecipio quodam divino alio, an tale praecipuum violare liceat? Videndum est primum, quale sit illud praecipuum; deinde

B

ad





ad quaestionem respondendum est; vtrumque patebit ex sequentibus.

§. XV.

Leges naturae sunt pro diuinis habendae.

Sunt aliqua principia, quae nobiscum nascuntur et quorum ratio ita in natura posita est, vt cum ea esse incipiant, neque vlla re opus sit ad ea explicanda et euoluenda, praeter lumen quoddam naturale, quod quisque in se deprehendit quam primum maturam aetatem adsequutus est. Ex iis principiis, nobis innatis et accedente vsu rationis perspectis, eliciuntur facile certa quaedam iudicia de his, quae per se recta sunt et turpia et fieri debent vel non fieri (per experient.). Et horum iudiciorum quoniam ea vis esse intelligitur, vt tanquam norma actionum haberi debeant a quolibet, nisi mala subire velit cum eorundem contemptu certissime connexa (per eandem exper.), merito *leges naturae* vocantur. Deus, a quo vniuersa natura pendet et cui tribuendum est, quod cuiusque rei natura ea sit effecta, qualis est (per theol. natur.), horum etiam principiorum iudiciorumue plane naturalium, et quid naturae ratione vtenti sit ad commodatum, quid minus, describentium, auctor statuatur necesse est. Quod quum ita sit, intelligi potest, legem naturae ex ipso Dei iudicio, quod primum mente diuina complexus est, de singularum rerum cum natura finita intelligente conuenientia aut discrepantia, expressam eidemque naturae cum intelligentia creatae inditam esse; sic, vt ab ea cognosci et erui possit. Explicat igitur lex naturae, quid a Deo naturae intelligenti per se consentaneum iudicetur, et quid ideo fieri velit, aut quid eidem contrarium atque ea propter omitendum ab infinito Dei intellectu iudicatum sit. Ex quo sequitur, *leges naturae singulas tamquam diuinas censi oportere.*

§. XVI.

Dantur etiam leges diuinae.

Accedere possunt ad naturam intelligentem quam plurimae atque diuersissimae circumstantiae, quae efficiunt, vt id, quod per legem naturae generatum est praeceptum, magis defini-




definiendum et ad singulares earum rerum conditiones, quibus natura creata, intelligendi vi praedita, inuoluitur, ad commodandum sit (per exper.). Sapientissimum Numen, quod creaturis rationalibus omni ratione consulere ob infinitam ipsius benignitatem ardentissimo studio nunquam non nititur, (per theol. nat.), sese demittit ad earundem indigentiam, vbi-
 cunque dignum hoc visum est ipsius sapientia, atque peculiaria praecepta exhibet, quae declarant, quid posito hoc nexu, his positis conditionibus, consentiat cum scopo obtinendae felicitatis, cui singulas creaturas ratione vtentes destinavit sanctissimum Dei consilium (theol. nat.), aut quid ab eodem dissideat et alienum sit. Aliud igitur ex eo concipitur legum diuinarum genus, continens praecepta singularibus rerum conditionibus naturae, superadditis, ad commodata, quae dicuntur ideo *leges diuinae positivae*, quae ante se ponunt semper aliquam conditionem.

nae positivae.

§. XVII

Legum diuinarum, quibus creaturarum actiones conformari vult, detur oportet semper aliqua ratio, quum sine ratione, hoc est frustra agere, sit Dei perfectionibus plane indignum (per th. nat.). Ratio ista, cur creatura rationalis et intelligens his vel illis legibus subiciatur, per quas in agendo hoc vel illo modo dirigatur, aut *subiectiua* sit, i. e. quae tantum in praecipiente, nimirum hoc loco, in Deo continetur, aut *obiectiua*, i. e. quae posita est in eo, cui praeceptum datur. Ex ratione subiectiua sola, quo minus Deus agere possit, prohibet ipsius summa sapientia, quae suadet habendam esse simul rationem obiecti eius, ad quod pertinet effectus (per th. nat.). Relinquitur igitur ratio obiectiua, quae aut in ipsa natura intelligente per se spectata reperitur, aut in certa conditione eidem adiuncta. Leges diuinae, quae proficiscuntur ab ipsa natura intelligente per se spectata, sunt naturales (§. XV); quarum vero ratio est ad commodatio quaedam ad singulares conditiones, quae accedunt ad naturam,

Duo sunt tantum legum diuinarum genera.



sunt positivæ (§. XVI). Duo igitur sunt tantum legum diuinarum genera, naturale et positivum.

Hæc ideo sunt adlata, vt intelligatur, legem de conferuanda vita aut cum alio præcepto diuino naturali aut positiuo collidi posse. Vtroque casu quid lex naturæ præcipiat, demonstrabitur in iis, quæ sequuntur.

§. XVIII.

**Evoluitur
quid sit cul-
tus Dei.**

Deus est ens quouis perfectionum genere excellentissimum et splendido virtutum quarumlibet ornatu condecoratum; cuius perfectiones summae et infinitæ cognoscendæ nobis ita sunt propositæ, vt, qui eas non cognoscit neque de iis se conuinci patitur, ab eius ignorationis culpa liberari nullo pacto possit (per th. nat.). Complexu diuinarum perfectionum constituitur *maiestas* s. *gloria* Dei. Qui de maiestate diuina conuictionem sibi parauit, *uenerari Deum* dicitur; idemque si propender ad demonstrandam venerationem Deo debitam, *reuerentiam* ipsi exhibet. Omne illud actionum genus, quo continetur reuerentiæ erga Deum exhibitio siue significatio, *cultum Dei* vocant.

§. XVIII.

**Cultus Dei
est debitus.**

Conuictio de perfectionibus diuinis haberi potest, eademque adquiri debet; quod vel ex eo patet, quia Deus est supremus creaturarum omnium dominus, qui ideo obsequium exquisitissimum sibi præstari vult (per th. nat.), quod tamen præstari prorsus nequit sine accurata perfectionum et virtutum diuinarum cognitione (per exper.). Debita est recta de perfectionibus diuinis conuictio ideo, vt debitum Deo præstetur obsequium (per anteced.), per quod reuerentia ipsi demonstratur; ea vero demonstratio reuerentiæ Deo debitæ coincidit cum cultu Dei (§. præced.): *debetur ergo Deo cultus.*

§. XX.



§. XX.


Qui Deum colit, debitam ei exhibet reuerentiam (§. XVIII); reuerentiae Deo debitae exhibitio ante se ponit rectam de perfectionibus diuinis conuictionem (§. cit.): fieri ergo nequit, nisi instituantur actiones perfectionibus diuinis cum conuictione cognitae conformiter, atque sic recta de Deo cognitio fit ratio mouens earum. Agere ex motibus perfectionum diuinarum, hoc est *illustrare gloriam Dei: obscurare gloriam Dei*, hoc est agere, quae motibus perfectionum diuinarum sunt contraria. Quum ergo Deo debeatur cultus (§. XVIII); *eadem obligatio tendit ad illustrationem gloriae diuinae.*

Quid illustratio gloriae diuinae: datur obligatio ad eam.

§. XXI.

Debita est illustratio gloriae diuinae (§. XX), i. e. obligamur ad illustrandam gloriam Dei, quoad per nos fieri potest. Omnis obligatio ducitur a motibus (per princip. mor.); per consequens quantitas obligationis aestimanda est et metiendi ex quantitate motiuorum, quibus constituitur obligatio. Quo plura ergo sunt et grauiora motiua; eo fortior et maior est obligatio. Iam, si tot tantaque insunt ei obligationi, quae ad illustrandam Dei gloriam spectat, motiua, quot quantaque non deprehenduntur in vlla alia, sequitur, illam esse summam. Quod prius est in illo conexo, ita demonstratur. Id omne, quod homo in se habet et extra se, non a se ipso habet, sed a Deo in ipsum profectum est (per th. nat.); ideo homo se ipsum ad Deum referre debet, quum per se esse nequeat: prior igitur est et antiquior obligatio, quae Deum respicit, ea, quae ad ipsum pertinet; per consequens *plus Deo quam sibi quilibet homo obligatur.* Eadem plane est aliarum omnium creaturarum adeoque etiam aliorum hominum ratio, quorum omnimoda a Deo dependentia euidentis est satis. Quisque enim facile sentit, priorem et potius esse eam obligationem, quae ad Deum spectat, qui omnino ab alio non pendet. Quapropter *plus Deo quam vlli enti finito quilibet obligatur.* O. obligatio aut ad Deum aut ad hominem ipsum

Obligatio ad illustrandam gloriam Dei est summa.



ipsum, aut ad aliud quoddam ens finitum pertinet; harum obligationum prima quum sit superior altera et tertia, concludendum est, obligationem, quae ad illustrandam Numinis gloriam spectat, siue ad cultum diuinum se refert, omnium maximam esse et summam.

§. XXII.

Minor est obligatio ad vitam conferuandam, quam ad gloriam Dei illustrandam.

Vita hominis absolute i. e. praecise quatenus est in homine spectata pertinet ad ipsum et obligatio, quae vitae conferuandam concernit, ad ipsum spectat; sibi ipsi igitur homo in eo obligatur. Sed plus Deo quilibet obligatur, quam sibi (§. XXI): obligatio, quae Deum respicit, spectat ad ipsius cultum (§. XVIII), adeoque ad illustrandam gloriam eius (§. XX): quapropter magis studendum est illustrandae gloriae diuinae, quam vitae conferuandae. *Minor est igitur obligatio ad vitam conferuandam ea, quae illustrationem gloriae Numinis diuini imponit.*

§. XXIII.

Vita quando ob illustrationem gloriae diuinae derelinquenda sit.

Vbi duae vel plures leges et quae his respondent semper, obligationes ita sibi occurrunt vt stare in casu obuiio simul non possint, exceptio fiat oportet (§. IV.); sed vt recte fiat exceptio opera danda est (§. XII.). Ne ergo peccetur, omne iudicium ferendum est ex quantitate legis s. obligationis (§. XIII). Itaque maior obligatio semper anteponenda est minori (§. eod.). Obligatio ad illustrandam gloriam Dei omnium maxima est et summa (§. XXI) atque sic maior etiam et superior illa, quae ad vitae conferuandam tendit (§. XXII); per consequens, si vitae conferuatio fieri non possit simul cum gloriae diuinae illustratione, *vita derelinquenda est, vt gloria dei fiat illustrior.*

§. XXIII.

Praeceptum naturale de illustranda gloria Dei


Is status, in quo lex de vita conferuanda cum alia quacunque lege in casu obuiio pugnat est extrema necessitas (§. VIII): si cogit necessitas, retinenda semper est obligatio maior, omissa minori (§. XIII). Quicquid cum hoc fundamento



mento conciliari nequit, id in statu necessitatis non licet ob extre-
 (§. XIII): intermittere illustrationem gloriae diuinæ ob vi- mam ne-
 tam conseruandam, cum fundamento antea posito conciliari cessitarem
 non potest (§. XXIII): ergo *ne ob extremam quidem necessitatem violare*
licet violare praeceptum de Numinis gloria illustranda. non licet.

Dicer aliquis fortasse 1) esse eam legem, quae vitae conserua-
 tionem praecipit, naturalem absolutam et ideo plane im-
 mutabilem: quare non intelligi, qui possit fieri, vt eo casu,
 de quo dixi, liceat vitam dimittere neque eius conseruatio-
 ni studere amplius. Talia dicenti sic respondeo: reuera
 plane non mutatur illa lex de vita conseruanda, si casu eo,
 quem nominavi, deseritur vita, namque in omni lege mo-
 dus explicandus est, quo praecipitur aliquid a lege. Id
 quale sit, ita intelligendum est. In omni lege siue prae-
 cepto modus aliquis continetur, quo id accipiendum est,
 quod praecipitur. Ultra illum modum non extenditur lex,
 sed vbi modus definit, ibi definit ipsa quoque lex. Is mo-
 dus igitur quaerendus est et explicandus, praesertim in legi-
 bus naturalibus. Lex ergo illa quae praecipit vitae conser-
 uationem, eo modo est intelligenda et explicanda, qui
 fuit a me declaratus, nimirum quoad fieri potest absque
 violatione eius praeepti de Deo recte colendo, s. gloria
 Dei illustranda. Secundum hunc modum est ea lex natu-
 ralis absoluta et ideo semper immutabilis; neque mutatur
 ea, si uita eo casu derelinquitur, quo eius conseruatio cum
 praeepto memorato stare nequit: eo enim non extenditur
 lex illa.

- 2) Id quod affirmatum est a me, eam quoque ob causam mi-
 nus recte se habere cuidam videri potest, quoniam per vi-
 tam ipsam, si conseruetur, optime gloria Numinis illustra-
 ri possit atque ob id ipsum vitae conseruationi maxime stu-
 dendum sit, vt fiat gloria Dei illustrior, h. e. vt pateant
 aliis eo magis perfectiones diuinæ, quum e contrario vita
 ablata, non possit amplius gloria diuina illustrari. Equi-
 dem non diffiteor, vitam posse egregie conducere gloriae
 diuinæ



diuinæ illustrationi, atque ob id ipsum operam dandam esse, vt vita conferretur, quo per omnem vitam nostris actionibus illustriorem efficiamus supremi Dei gloriam atque aliis eam sic cognoscendam praebeamus: sed id contra me nihil valet. Mihi enim est sermo de eo casu, quo conferuatio vitae ita pugnat cum illustratione gloriae diuinæ, vt insigniori quodam et praestantiori modo illustrari possit gloria Dei, si vita negligatur aut dimittatur, quam si nimis studiose conferuetur. Potest certe aliquando vnus hominis morte magis illustrari gloria Dei, quam mille hominum vita. Isti v. c. heroes, martyres, qui professionem veritatis coelestis tam praeclaro testimonio ornarunt atque suo ipsorum sanguine obligarunt, sane in hoc, quod abiectis iis rebus et contritis, quae alias mortalium iudicio: gratiae, carae et magnificae habentur, acerbissimos cruciatus atque dolores summa animi constantia et diuina quadam virtute sustinerent, ipsamque vitam cum insignis laetitiae significatione profunderent, pro vero Dei cultu retinendo, magis gloriae diuinæ illustrationi consuluerunt, quam si cuique illorum per mille annos vivere contrigisset.

Quaerendum nunc est, an liceat, ob extremam necessitatem praeceptum aliquod Dei posituum violare? De quo mox patebit, quid sentiam.

§. XXV.

In statu extremæ necessitatis praeceptum Dei violare quando non liceat. Sunt quidam peruersissimi homines, religionem siue cultum Deo debitum adeo contemnent, vt ipsi non modo parum de illustranda gloria diuina sollicitos se ostendant et eandem potius quolibet actionum genere obscurent, sed et alios in eiusdem improbitatis societatem inducere maximopere nitantur, quorum factis istius Numinis maiestatem profcindi quantopere laentur, vultu et verbis saepe significant. Fieri igitur potest, vt a quopiam ex illo pestilentissimo hominum genere, sub comminatione grauissimorum malorum et in his vitae auferendae, si obtemperare nolit, ad talem actum, in quo




quo manifesta praecepti cuiusdam diuini expressi et positiui continetur violatio, adigatur; aliquis, neque alium in finem, nisi vt contumelia adficiatur Deus et maiestas ipsius ludibrio habeatur atque aliis quoque occasio contemnendae religionis praebetur. Sumitur hic comminatio vitae auferendae, si resistatur alterius voluntati (per anteced.), quae quidem comminatio talis esse debet, vt mors aut certe euidentis mortis periculum vitari non possit, nisi velit alter committere, ad quod committendum cogitur (per hypoth.). *Exsistit* igitur *eo casu status necessitatis extremae* (§. VIII), quoniam lex de conferuanda vita stare hic nequit cum obseruatione alius praecepti. Ex superioribus intelligitur, si actus praecepto Dei expresso et positiuo contrarius, eo modo, quem supra definiui, editur, cedere in contemptum et opprobrium Dei et perfectionum diuinarum manifestum, atque sic gloriam Dei obscurari (§. XX). Quocirca, quum ne ob extremam quidem necessitatem liceat committere aliquid, ex quo gloria Dei obscuratur, aut quod eius illustrationi officiat (§. XXIV); sequitur, *violationem praecepti diuini positiui et expressi*, vbi manifesta eidem coniuncta est gloriae diuinae obscuratio, *excusatione necessitatis tegendam non esse*, sed quia *vita eo tempore conferuari amplius non potest, dimittenda est potius, quam vt a lege Dei discedatur*: nam rectius agit, qui moriendi necessitati parer, vt sic tendat ad illustrandam Dei gloriam, quam ille, qui vitae studet cum gloriae diuinae detrimento (§. XXIII. §. XXIV. not.).

Clariora vt haec fiant, adponam exemplum, ductum a disciplina Iudaeorum. Deus, qui modo peculiari huic populo olim praeerat, praecipiebat, ne carnem ederent suillam. Erat hoc praeceptum positiuum, quum a voluntate Dei libera penderet (§. XVI); quae tamen semper regulis summae sapientiae adcommodatur, neque vnquam ferri potest ad aliquid, cuius non detur ratio, in intellectu diuino praeferuenda. Cogitemus Iudaeum quemdam eo tempore, quo valebat adhuc ea lex, incidisse in coetum profanorum hominum, qui omni ratione eum impellerent, vt carnem suillam

C

lam



lant comederet, et nisi hoc facturus sit, mortem minarentur. Quid tum faciendum ei fuerit, quaeri hic potest non inutiliter. Indignum prorsus et nefas fuisse arbitror, si quis Iudaeorum tum sibi concessum putaret, vitae conseruandae causa praecipuum Dei negligere et contra illud peccare. Ii enim, qui Deo vero, quem Israelitae colebant, aduersabantur neque eum agnoscebant, ea mente ipsi obrudebant carnem vetitam, vt ostenderent, nullum adhibendum esse Dei praecipuis honorem, neque valere tantum debere apud illos voluntatem diuinam, vt alligatos sese arbitrentur, ne discederent. Satis erat igitur manifesta intentio, prorsus in id directa, vt, si possit fieri, ignominiam perfectionibus Numinis adspicerent. Atque eam ob causam, vt prauorum conatus euerterentur hisque resisteretur, eo maiori animi constantia efficere quisque Iudaeorum debuit et honorem Dei summum in hoc ipso tueri, vt ab eius praecipuis nullius mali metu se dimoueri ne pateretur, sed ad vitam et si qua res potuit ad hanc addi, deponendam promptum se exhiberet, in quo significabat, se malle vitam carere, quam ea sic vti, vt sanctissimo Numini opprobrio sit.

§. XXVI.

Quando
ficeat discere
a praecipuo
Dei ob necess.
summam.

Vitae conseruationi studeamus, quoad per legem de illustranda gloria Dei fieri potest: nam ea sola ratio adlata est (§. XXIV. XXV.) cur viuendi studium possideri interdum debeat. Et ea vitae conseruandae cura ita nobis a Deo imposita est, vt ipse, si res postulat, saluberrimis praecipuis nos adiuuet. Ponamus igitur praecipuum quoddam ideo a Deo fuisse stabilitum, vt eo rectius per illud sanitati et per consequens vitae hominum prospiciatur; accidere autem ob singularem rerum coniunctionem, vt, si ei legi pareatur, vita propter hanc ipsam legem periclitetur et perdatur. Iterum existit status extremae necessitatis (§. VIII). Quis non intelligit eo casu contra benignissimam Dei voluntatem fieri, si quis simpliciter obtemperandum, neque vitae, quae praestant-


stantissimum munus Dei haberi debet, consulendum existinauerit? *sub his igitur determinationibus*, quae sunt a me posita, nimirum ubi constare satis potest, rationem legis a Deo latae ad id non extendi, quod in casu obiuo infertur, sed ei potius aduersari, nempe amissioni vitae, *si interueniat extrema necessitas* et salua illustratione gloriae diuinae vita conseruari possit (conf. §. XXV.), *illicitum putandum non est, recedere a tali praecepto*: nam reuera non receditur a sensu legis aut a mente et voluntate legislatoris, quippe quae ad id non fertur, vt vita eo casu negligatur, sed a littera legis fit tantum discessio: sed ad sensum magis, quam ad litteram legis esse animum aduertendum, per se patet.

Cautio tamen maxima adhibenda est, ne legibus diuinis aliquando falsae adfangantur rationes: omnium enim praeceptorum diuinorum rationes adcurate velle perspicere, temerarium est.

Eiusdem exempli, quo vsus sum ad §. praeced. hoc quoque loco poterit esse aliqua vtilitas. Constituas v. c. Iudaeos fuisse ab hostibus obsessos vel incidisse in alia familia, quae esum carnis fuillae ita suaderent, vt, si ea vesci noluerint, fame ipsis pereundum fuisset: sane haec non fuit ratio legis, quam Deus ipsis tulit de non comedenda carne porcina, vt ea propter perirent, sed ea potius fuisse videtur, vt Iudaei esu pinguioris carnis, qualis est porcina, ne immunditiam corporum auerterent neue firmarent dispositionem, quae ipsis inerat ad foedos et contagiosos morbos, v. c. lepram. Obseruatur enim a medicis, esum carnis pinguioris non conducere corporibus, in quibus iam existit dispositio ad immunditiam, seu causam plurium morborum. Benignissimum igitur Numen hac lege cauere voluit Iudaeis ab iis rebus, quae sanitati ipsorum et vitae nocere poterant. Quodsi vero manifestum obseruaretur mortis periculum, quod vitari non poterat, nisi ab illo praecepto recederetur, ego sane nolim vituperare hoc factum, quum maxime hoc benignissimae voluntati diuinae conueniret neque eius legis ratio huc vsque extenderetur.

C 2

Non



Non alienum a re nostra est illud quoque, quod legitur in codice sacro de panibus oblationis. Si quidem erant in usum sacerdotum destinati, quos tamen comedere Dauidi religioni non fuit, quum se videret necessitate coactum. Intelligebat enim rationem legis ad hunc casum non debere referri. Prouisum enim erat indigentiae sacerdotum, ut haberent, ex quo alerentur; itaque potius significabatur, Deum esse vitae amantissimum, neque interitu cuiusquam delectari. Quare si quis alius, qui non erat sacerdos necessitate et ea quidem extrema cogereetur panes oblatos comedere, impune hoc fieri potuit, si quidem gloria Dei per hoc non obscuraretur.

Progrediendum nunc est ad alteram huius tractationis partem, in qua illud mihi offertur inquirendum, quid necessitate extrema urgente liceat in alios homines, quod sequentia docebunt.

§. XXVII.

Licet uti
aduersus
laedentem
defensione.

Qui ostendit animum alterum quocunque modo laedendi, is *adgredi* alterum dicitur; alter vero, qui aduersus laesionem ab alio sibi intentatam quocunque modo se tuetur si eam quocunque modo amouere studet, *defendere* se dicitur. Quae quidem vocabula strictius aliquando accipiuntur de adgressione et defensione, in qua insignis quaedam vis adhibetur, quae ideo *violenta* nominatur. Ius Naturae vetat quemquam laedere, et si quis laeditur, eidem tribuit facultatem mouendi laesionem quocunque modo amouendae. Ex quo perspicuum est, *omnem adgressiorem esse contra ius naturae et ideo illicitam; omnem vero defensionem iuri naturae conuenire et licitam esse.*

§. XXVIII.

Ius defensionis quo sensu indefinitum dicatur.

Defensione uti licet ad amouendam laesionem, et per consequens mala, quibus laesio constituitur, depellenda (§. XXVII): vtendum igitur est finibus et modus haberi debet in defendendo, is nempe, ne plus mali alteri adferatur, quam

quam sufficit ad id, cuius causa defensio est suscepta, profligandum. *Generatim ergo possunt quidem termini defensionis assignari; sed quia intelligi et defini non potest in villo casu, quamam et quanta defensione opus sit; nisi antea intelligatur, quaenam et quanta sit laesio; deinde etiam illud pender a rebus circumstantibus, quo genere vis et quibus armis utendum sit: adcurate et speciatim defini non possunt termini aut modus defensionis adhibendus.* Ex quo factum est, vt a quibusdam dictum sit, *aduersus eum qui per vim alterum adgreditur, dari ius defensionis infinitum, aut potius indefinitum.*

§. XXVIII.

Vis ideo adhibetur, vt is, qui eam adhibet, non possit tam facile superari; sed quia aut nunquam aut raro constat, quousque alter vim adhibiturus sit, et quanta sit ea, metuendum tum semper est de vita nostra, et metus ille est verus. Ille metus efficit, vt sit cogitandum de modo, quo obuiam eatur laesioni alterius (§. XXVIII); et si res cogit, ad profligandam laesionem, mala alteri inferre licet, quod veritum est alias secundum legem naturae. *Quoties igitur ab altero infestamur per vim, talem quidem, cuius quantitas nos fugit, existit status extremae et absolutae necessitatis (§. VIII. VIII): Est enim hic collisio legis de vita tuenda et eius de non inferendo alteri malo; et quia illa collisio ortum trahit ab eo, qui animum nocendi ostendit, adgressor eius necessitatis auctor est.*

Adgressor
quomodo
fiat auctor
necessit.
extremae.

§. XXX.

Vitam aduersus quemcunque tueri debemus, qui iniuste eam petit, ideoque vis vi debet repelli; sed repelli non potest vis aliena, nisi efficiamus vt nostra sufficiat ad infringendos alterius conatus. Si quis per vim adgreditur nos consistere haut facile potest, quousque eam sit adhibiturus et quum ab eo, qui infensum se nobis praebet, quaelibet mala expectari possint, non absque ratione de vita metui-

Quid in
auctorem
extremae
necessitatis
liceat.



mus (§. XXVIII). Vim ergo maximam hic opponere licet ei, qui in extremam necessitatem temere nos adducit; maior vero esse non potest ea, quae tendit ad necandum illum. Quamobrem aduersus eum, qui extremae necessitatis, cui implicamur, auctor est, si alia ratione vim eius effugere plane non possumus, iure defensionis ubi licet cum ipsius interfectione.

Ex eo fit, vt aduersus latrones et fures nocturnos quidvis licere existimetur: hic enim non adparet, quantum per vim conentur: ne igitur horum vi opprimamur, quocunque modo aduersus illos se defendere licitum putandum est, ob metum extremorum malorum s. ob summam necessitatem.

Restat agendum de eo, quod licet ob necessitatem in eos, qui non sunt auctores eius necessitatis, cui aliquis involuitur; ubi illud potissimum cognitione et adcuratori evolutione dignum iudico: num, si extrema necessitate implicatus sis iure possis officia non modo amoris, verum etiam stricti iuris, erga alios alioquin obseruanda, violare? Isque locus non omni caret difficultate. Cautius arbitror pronuntiandum esse de hoc. Ego quidem adduci non potui, vt omnino me ad eam sententiam adiungerem, quae vulgo solet ea de re ferri. Ad certa fundamenta omne iudicium reuocari oportere puto, quorum explicationem nunc addo.

§. XXXI.

Quaeuis officia ab amore officia humanitatis aliis debita ducuntur et ab eodem proueniunt quaelibet officia ad nosmet ipsos spectantia (per princ. mor.). Eadem est igitur horum origo ab amore. Quodnam itaque ex his ceteris anteferri debeat, id ex eo intelligendum est, quodnam prius altero ab amore praecipitur. Primum hoc praecipit amor cuique a natura impressus et innatus, se ipsum conseruare vitamque a vi aliena tueri:

tueri: nam si vita carendum est, nec sibi nec aliis quisque
 prodesse poterit; vita igitur in reliquis officiis omnibus sub-
 sternitur, tanquam id, sine quo satisfieri his non potest.
 Ex quo sequitur, *legem de vita conseruanda cuique antiquissimam
 omnium esse oportere et reliquis officiis sibi aut aliis hominibus praec-
 standis, quae ab amore orta sunt, anteponendam.* Vbi status ex-
 tremae necessitatis exsurgit, lex de vitae conseruatione con-
 sistere nequit cum alia quadam lege simul in casu obuiio ob-
 seruanda (§. VIII); ea vero lex prior est reliquis quibus-
 cunque officiis, quae ab amore ducuntur (per anteced); per
 consequens, si habeatur ratio fundamenti §. XIII. positi in-
 telligi potest, *ob extremam necessitatem cessare quaelibet officia hu-
 manitatis.*

Ita v. c. si quis captiuus a barbaris tenetur et ea vix instru-
 ctus est pecunia, quae sufficit ad libertatem et vitam sibi
 redimendam, iniquum foret velle, vt ipse in summa ne-
 cessitate constitutus, alium quendam sua pecunia iuuaret;
 quia ipsius vita euidentis periculum incurrit, si non habet,
 vnde eam redimere possit seque a barbarorum manibus li-
 berare. Quanquam igitur alias hoc esset humanitatis, ege-
 num subleuare, hoc tamen casu, quo sine manifesta vitae
 periculatione fieri nequit, tale officium iure intermitteri
 potest. Eodem modo res se habet, si quis inciderit aqua-
 rum fluctus, atque opem sibi ab alio ferri velit, qui tamen
 subuenire non potest, nisi se ipsum vitamque suam in aper-
 tum discrimen coniciendo: nisi aliae sint circumstantiae
 singulares, quae aliquid hic momenti ferant, ad opem fe-
 rendam nulla datur eo casu ab alterius parte obligatio.

§. XXXII.

Officia stricti iuris s. perfecta in his duobus continen-
 tur, vt suum cuique tribuatur, et ne quis temere turbetur in
 iis rebus, quae ad ipsum pertinent; siue bona fuerint exter-
 na, opes, honores, existimatio et fama, siue vita aut res
 aliae

Officia
 stricti iuris
 ob extrem.
 necess. per
 se specta-



tam viola-
re non li-
cet.

aliae. Horum officiorum alia est, quam ab amore origo: quum enim cuique debeantur *per se* absque vilo amoris et benevolentiae respectu et ab iis quoque exigantur, qui se non amant neque mutua benevolentia se inuicem prosequuntur; ab amore oriri non possunt officia stricti iuris, verum aliud sit eorum fundamentum, magis necessarium, quam quod amore constituitur. Quodsi igitur non ab amore oriuntur officia, quae quisque stricto iure sibi praestari postulat, nisi ipse prius aliquid peccauerit; nec vnquam fieri poterit vt ob eam solam rationem aliquis liberetur ab obligatione ad eorum obseruationem, quia amor aliud suadet alicubi. Quid amor praecipiat aut suadeat, adtendi prorsus non debet, vbi de eo quaeritur, quid ex rigore iuris obseruandum est. Amor igitur licet aliquando suadere videatur vt deseramus officia stricti iuris, *tantum valere non debet, vt violetur tale officium.* Ex quo confequitur, *collisionem talem*, in qua continetur repugnantia officii cuiusdam ab amore profecti et alius, quod stricto iure nititur, *per se*, nisi fortasse is, cui illud officium debetur, ipse aliquid peccauerit, ob quod alteri concedenda est defectio a tali officio (id quo modo fieri possit, ex sequentibus patebit) *non posse excusare violationem eorum, quae iure stricto s. perfecto aliis debentur.* Extrema necessitas includit vitae nostrae periclitationem sub conditione alius legis obseruandae (§. VIII); vt vitam nostram tueamur et conseruemus, hoc est ab amore erga nosmet ipsos (§. XXXI): ergo existit hic collisio ab amore repetenda; talis collisio per se efficere non potest, vt officia stricti iuris violare liceat (per anteced.); per consequens, *ne ob extremam quidem necessitatem per se spectatam licet violare officia a iure perfecto orta, erga illum quidem, qui non est eius necessitatis auctor.*

§. XXXIII.

Eatenus
modo in
statu ex-

Quamquam ex sola collisione aut necessitate per se ratio sumi non possit, cur licite ab officiis perfectis discedatur



datur (§. XXXII); ex eo tamen non sequitur, fieri hoc non posse rum, cum ille, qui tale officium sibi praestari postulat, ipse aliquid peccat, neque ita agit, vti debuit, quando necessitate premi vidit alterum. Si quis enim videt alterum summa necessitate implicatum, neque tamen eum se praebet, quem debuit, ipse primus partes suas derelinquit et hoc ipso rationem et occasionem suppeditat alteri violandae obligationis, quae, nisi in ipso vitium esset, violari non poterat. Num igitur ob extremam necessitatem officia stricti seu perfecti iuris erga eum, qui non est eius necessitatis auctor, violare liceat, iudicari debet ex eo, an is, erga quem violantur, aliquid peccauerit. *Eatenus modo licet violare officia stricti iuris ob extremam necessitatem, quatenus hic ad ipso aliquid peccatum est, in quem violantur.*

trem. necess. violare licet officia stricti iuris, quatenus ab alio aliquid peccatur.

§. XXXIII.

Quisque alterius perfectionibus tanquam suis studere tenetur (per princip. mor.); in isto studio perfectionis maiorem semper sequi debet perfectionem; vita praestat prae ceteris quibusuis bonis externis, vt opibus, diuitiis et quae sunt eiusdem generis. Quodsi igitur incidit, vt possit aliquis vitam alterius suo quocunque incommodo, quod tamen ad vitam non attinet, redimere et ei, in discrimine vitae constituto, opem adferre, aliquam sane molestiam aut aliquod rei suae detrimentum vereri non debet, sed lubeni animo suscipere aut pati, vitae alterius conferuandae causa. Id si nolit, officii sui immemor est et peccat. Atque sic *ipsum vitio contingit vt liceat alteri per vim illud exigere, quod voluntarie ipsi praebere oportebat, quamuis alioquin, si abfuisset extrema necessitas, vi exigere nefas esset. Ea igitur ratione ob extremam necessitatem officia stricti iuris violare licet.*

Quomodo hoc fiat, vberius declaratur.

D

Fac



Fac igitur v. c. me longinquum iter facientem incidisse in loca deserta, in quibus summa est omnium rerum ad victum pertinentium inopia, et postquam aliquot dies in iis errauerim, me tandem emergere, sed dira fame ita vexari, vt nisi quam primum aliquid cibi capiatur, de me actum sit; me igitur progredientem, ab eo, qui primus mihi obuius est, panem aut quodcunque aliud ciborum genus, quo instructus est, petere, quantum quidem ad vitae sustentationem pertinet, illum temere recusare et tam improbum esse, vt malit me perire, quam aliquantulum cibi gratis mihi praebere. Quis non videt, grauiter hic ab eo peccari, qui vitam meam qualicumque rei suae detrimento redimere nolit. Quamquam ob extremam necessitatem per se solam non statim liceret officia perfecti iuris violare et per vim alteri aliquid eripere, hoc tamen tum quisque sibi concessum putare potest, cum alter ipse id non facit, quod debuit: hoc enim si faceret, vim adhibere fas non esset.

Equidem volunt aliqui explicare id, quod propositum est a me, ex communitate quadam bonorum, quam in statu extremae necessitatis locum habere existimant, quae efficiat, vt quisque re aliena vt sua vi possit. Sed differt hoc, quod in communitate bonorum, id quod fuit in vsum conuersum ab aliquo, refarciendum non est, quum aequae ad ipsum ac ceteros pertinet, sed si quid ob extremam necessitatem alteri ablatum est, fieri debet reparatio, vbi cessauit necessitas. Solet quaeri, *an liceat secundum legem naturae, alteri, qui nulla ratione nos laedit, vitam adimere, vt nostra conseruetur, si aliter ea conseruari non possit?* Quod quidem a plerisque licitum haberur, mihi tamen adcuratori cognitione dignum visum est. Habe ergo sequentia.

§. XXXV.



§. XXXV.

Vita alterius aequae cara ipsi est et debet esse, ac nobis nostra est. Ergo si contingit, ut alter non possit vitam nostram conservare, nisi suam perdendo, nulla est hic obligatio, cur suam perdat et nostram conservet, quum utrinque sit eadem quantitas boni (§. XIII). Et quum vitam propriam conservare sit ab amore in se ipsum; vitam vero aliorum ab interitu vindicare pendeat ab amore erga alios; amor vero in se ipsum prior sit amore erga ceteros (§. XXXI): recte facit utique, qui suae salutis prospicit, absque tamen vlla alterius laesione, ubi alienae consulere non potest, nisi propriam negligendo. Itaque si nolit aliquis morte sua vitam nostram redimere, in eo nil quidquam peccat; per consequens nulla existit causa, cur ad id cogere eum possis vitamque ei invito auferre (§. XXXIII). Ex quo concludendum est, *vita privare alterum ob extremam necessitatem, inquam praeter eius culpam incidimus, non licere.*


Vita privare alium innocenter sui conservandi causa non licet.

Ut exemplo quod plerumque huc adferri solet. Constituas hominem, dum hostis acriter eum persequitur, fugientem, per angustum pontem transire necesse habere; properanti ei obvium fieri eodem ponte alium imbecilliorum quidem sed prorsus innocentem, quem nisi e medio tollat, et in aquas deiciat, periculum impendere, ne ipse capiatur et misere interficiatur. Equidem multi hoc licite fieri existimant, ego tamen ob rationes in §pho expositas me non possum ad horum sententiam omnino adiungere.

Dixi de eo, quod a singulis in singulos fieri haut liceat, ubi nimirum res ceterae utrinque pares sunt. Sed possunt omnino aliquando obvertari circumstantiae singulares, quae licitum id efficiunt, quod alioquin non licet: v. c. si salus publica cum salute singulorum colliditur, aut a parte unius evidens sit insignis perfectio, quam ab altero expectare non aequae licet.

D 2

Equi-



Equidem videntur contra me pugnare canones quidam, qui vulgo notii sunt, vt: *amorem incipere a se ipso*. Quod ita verum est, vt per me ipsum §.XXXI fit stabilitum: sed apertum est satis, hic dici tantum de eo, vbi officia amoris erga nos ipsos stare in casu obuiio non possunt cum certis officiis, ab amore erga alios ducendis; quo quidem casu dubitandum non est, quin amor sibi prius quam aliis consulat. Sed nunc quaeritur aliud, nempe, an ob amorem sui liceat quoque officia stricti iuris violare erga alios, imo vitam aliis eripere, de quo quidem ex illo canone iudicari non potest. Deinde: *quemque sibi esse proximum*. Id tamen eodem modo est accipiendum, quem paulo ante declaravi et qui ex §. cir. plenius est intelligendus. Tandem: *legem: conserua te ipsum, omnium esse primam*. Ex quo sequi putant, si aliter homo se conseruare non possit, quam perdendo et interficiendo alium, licere hoc. Quae tamen non satis cohaerent. Lex enim ista id modo dicit 1) vitam reliquis quibuscunque bonis nostris externis maiorem haberi oportere, 2) prius cogitandum esse de vita nostra conseruanda, quam de maiori aliis perfectione comparanda. Alios ob vitae nostrae conseruationem quocunque modo imperfectiores efficere vitamque ipsam absque vlla alia caussa subtrahere, per legem illam non permittitur.

§. XXXVI.

Tractatio-
nis pars
postrema
proponi-
tur.

Restat vnus disputationis locus, nempe is, in quo videndum est, quid homini liceat in semet ipsum vbi summa vrget necessitas. Id, de quo hic disquirendum est, in eo maxime versatur, *an mortem sibi consciscere liceat, quando acerbius quoddam et miserius adhuc mortis genus impendet?* Quo quidem casu existit aliquod necessitatis extremae genus. Lex enim de vitanda maiori imperfectione et per consequens fugiendo mortis genere acerbiori, quippe quo magis imperfecti-

mur,

mur, videtur hic pugnare cum lege de non interimendo femer ipſo. Quid igitur in iſta neceſſitate faciendum ſit? vtiliter quaeri poteſt. Poſſunt enim plures exiſtere caſus, in quibus huius rei uſus cernitur. Ita v. c. ſi miles Ierthali vulnere ſic conſectus ſit, aut ſi alius morbo quodam adeo grauius decumbat, vt omnis eius curatio inutilis cenſeatur, nec vlla ſalutis ſpes relinquatur; quaeritur, an ei liceat leuiori et faciliori modo mortem ſibi conſciſcere, quo citius a doloribus, quibus vehementer excrucietur, liberetur? Eadem eſt ratio, ſi quis incidit in talem caſum, in quo fame pereundum ſibi exiſtimat, niſi citius antevertat iſtud miſerrimum mortis genus, aut ſi quis ſe ab hoſte vel latrone immaniter peti animaduertit, a quo quacuis atrocitatis genera meruit, cuius tamen manus aliter ſe effugere poſſe deſperat.

§. XXXVII.

Equidem fundamentum illud, quod ſupra poſui (§. XIII.) vult, vt neceſſitate et collifione vrgente eligatur malum minus, quo vitetur maius; ſed ſumitur ibi quod malum maius ſit aequae certum ac malum minus. Alias enim ſi incertum fuerit malum maius, fieri poteſt, vt vtrumque vitetur atque tunc ratio exultat, cur alterutri temere aliquis ſe ſubiiciat. Genus mortis acerbius et atrocius eſt quidem malum maius, mortis genere leuiori et non cum tanto dolorum ſenſu coniuncto, ſi aequae certum ſit. Sed ii, qui congeruntur huc caſus (§. XXXVI.), omnes eiusmodi ſunt, vt non cum plena certitudine ſcire poſſis, an non dari poſſit liberatio ab iſto mortis genere, quod aliquis ſibi impendere ſtatuit. Teſtis eſt experientia; morbum, quo quis conſicitur, aliquando talem haberi, qui, licet omnis cura adhibeatur, ſanari non poſſit, et tamen valetudinem recuperari vitamque retineri. Ita quoque in ceteris caſibus poteſt immitti tam varia et inexpectata rerum coniunctio, per quam ſit, vt ex euidenti mortis periculo aliquis eripiat. Ex quo adparere arbitror,

Quid in ſtatu extrem. neceſſ. in ſemet ipſum liceat.



in his casibus et aliis similibus mortem, quam quis sibi consciscit esse certam, eam vero, ob cuius metum sibi illam consciscit, incertam. Sed mors certa, opinor, maius malum est morte incerta; per consequens haec illi praeferranda (§. XIII). Quapropter *nulla est necessitas, ob quam sibi vitam adimere licitum haberi possit.*

Autochiriam absolute seu extra omnem collisionem spectatam aut ob collisionem vitae cum alio quodam bono inferiori, illicitam habendam esse, hoc loco non eget disputatione, quando de eo tantum dicitur, quod summa necessitate urgente licitum est. Equidem in isto argumento multa subtilius longe quaeri et disputari possunt, sed limites huius scriptio- nis singula persequi non permittunt. Quapropter finem hic pono.

S. D. S.



I V
B


CA

IVR.

PRO

SO

PVE



X2368110



G. 24. num 34.

1763, 9
24
—

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

EO, QVOD LICET
SECVNDVM LEGEM NATVRAE
SVMMA NECESSITATE VRGENTE

QVAM

ADNVENTE NVMINĒ SVPREMO
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

CONSENTIENTE

PRAESIDE

GOTTLOB. AVGVSTO TITTEL

PHILOSOPH. DOCTORE IN ACAD. IENENSI
AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCT. DES.
SOCIET. LAT. IENENS. SOD. HONOR.

DIE XVIII. OCTOBR. CIO ID CCLXIII

PVBlice DEFENDET

HENRICVS DETLEFF DE SALDERN

EQVES HOLSATVS

L. L. CVLTOR.

SOCIET. TEVTONIC. IENENS. SODAL. ORDINAR.



I E N A E

LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII



2013

